



LIBER  
EX LEGATO  
SERENISSIMI PRINCIPIS  
**LVDOVICI,**  
DVCIS WVRTENBERGIAE,  
FRIDERICIANAЕ BIBLIOTHECAE  
ILLATVS.

2 Regem

Get. 26.



8

EPISTOLÆ

ad

Illustriſſimum Conſiliarium N. N.

Stuttgardia

d. 20<sup>o</sup> Jan. Anno 1689.

*exarata*

Ex Germanico in Latinum Traductio,

*Noviſſima Legati Gallici molimina  
exhibens.*

---

Impreſſa 1689.



Handwritten text, likely a title or chapter heading, appearing as a faint watermark or bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely a date or a specific reference, appearing as a faint watermark or bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely a date or a specific reference, appearing as a faint watermark or bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely a title or chapter heading, appearing as a faint watermark or bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely a date or a specific reference, appearing as a faint watermark or bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely a date or a specific reference, appearing as a faint watermark or bleed-through from the reverse side of the page.







*Illustrissime Domine.*



X literis Excellentiae Vestrae, 16. (26) hujus Mensis huc perscriptis, intelligere licuit: In bivio quasi haerere Eam, fidem ne adhibeat, nec ne? Relationi ex Suevia allatae, atque Pagellae, ut vulgo vocant, Hebdomadariae, sub dato 9. (19.) currentis Mensis, insertae, *quasi Regis Galliae Ministri, suis insigniti Characteribus, indignius inter nos habiti fuerint*, & proinde expectare, ut certiora verioraque hoc ex loco edocta, quid credere hac de re omnino fas sit, cum ipsa sciat, tum aliorum judicia, in sequiorem haud obscure deflentia partem, in viam revocandi ansam habeat. Ne ergo expectationi Vestrae perinde, atque meo deesse videar officio, sequens adornare responsum volui, debui.


In antecessum autem cum Excellentia Vestra, ceu ratum fixumque non Ciceronis solum effato, sed communi etiam Juris Gentium consensu praestruo: *Quod Nomen Legati, non modo inter Sociorum jura, sed etiam inter hostium tela incolume versari*



*debeat.* Verum Regis Galliae Minister in nostra-  
te Aulâ aliquandiu commoratus, Dominus de Juvig-  
ny, ne unicum quidem allegare poterit actum, ex  
quo ipsius Characterem heic loci violatum, aut Per-  
sonam ullatenus læsam fuisse, per præsumptionem  
saltem colligi queat; quanquam fortè, quod ex  
commemorandis jam jam luce meridianâ clariùs  
apparebit, non una subinde, neque ea levior ab Ipso  
præbita fuerit occasio atque causa, quamobrem alius  
erga Eundem animus vultusque pridem indui debuif-  
set. Quod ut luculentiùs demonstretur, operæ pre-  
tium erit, arcessere rem jam inde ab ipso tempore,  
quo arma Gallica ex improvise iterum proruperunt,  
nobis planè incertis, quam in partem cis Rhenum ist-  
hæc sese flexura essent.

Cùm itaq; Serenissimus Dominus Administrator  
tempore profus indifferenti, quo nimirum, ne mi-  
nima quidem adhuc esset suspicio, Armistitium Im-  
perium Romanum inter Regemque Galliae ruptum  
iri, pro eo jure, quo omnes cæteroquin Germaniæ  
Principes gaudent, pactione cum Auriaco Principe  
initâ, in Statuum Hollandiæ usum, favoremq; Fi-  
lij, conscripturum in vicinis Imperii Circulis eque-  
strem Manum recepisset, idque coram omnibus,  
citra affectum judicantibus, nulli reprehensioni ob-  
noxium esset; Regi tamen Galliae, in occasionem  
prætextumque conceptæ, quam prætendebat ejus  
Minister, offensæ, ideo servire debuit, quoniam in id-  
ipsum inciderat tempus, quò Cæsaream Majestatem  
Romanumq; Imperium novo aggredi bello, statutum  
Ipsi







Ipsi deliberatumque erat. Quapropter prædictus Minister Gallicus, Juvignius, præmissis, sed irritò conamine, diversis propositionibus circa illas copias dissolvendas, hanc denique ceu expeditissimam iniri voluit viam, ut Serenissimus Dominus Administrator Sex Equitum turmas, hîc etiamnum superstites, in proprium hujus Statûs usum, his in oris retineret, hocque ipso securus tum omninò esset, satisfactum fore Regi Christianissimo, justamque ejus ac vindicem iram (sic satis insolenter intimatam) haud dubiè cessaturam. Etsi igitur Serenissimus Dominus Administrator ægrè à suâ dimovendus fuit destinatione, à Regimine tamen Con-Tutorio, Ministri hujus, utpote regiâ autoritate subnixi, verbis fides adhibita, atque ut tali modo Ducatus extra omnis periculi poneretur aleam, apud Dominum Administratorem tantò enixiùs institutum fuit, quantò majores Gallorum copiæ transire Rhenum in horas nuntiabantur. Quàm parum ponderis verò isthæc Juvignij habuerit pollicitatio, plus nimio comprobavere ea, quæ mox insecuta. Prætensiones dico, Centies, & brevi pòst, Quinquagies mille Thalerorum, nec non infiniti ferè pabuli pro equis exactiones, interminationibus præsentissimi incendij identidem stipatas, quas occupatio ipsa majoris partis Ducatûs hujus, & postulata indies graviora, ob hyberna videlicet, atque ut oppidis hinc inde à direptionibus exustionibusque constaret immunitas, excepere, inq; malorum quasi Cumulum violenta tandem, tot publicis in officijs constitutarum, aliarumq; innocentium Personarum





abductio, Mœniumque quibusdam in locis fœda e-  
 versio, tristesq; accesserunt ruinæ. Et sanè haud  
 abs re quæsierit olim curiosa posteritas, quid tum  
 temporis, cùm in innocuas Principis Minorennis di-  
 tiones, infontesque subditos, hostili adeò more sæ-  
 vitum, degens heic Minister Gallicus egerit?  
 Et annon pudor ejusdem subierit animum, cùm,  
 impetratâ licet prædictarum sex turmarum revoca-  
 tione, veritas tamen atqve eventus promissis ipsius  
 minimè responderet? Verùm isthæc ne quidem  
 tangebant illum. Quin potiùs in eo totus erat, ut  
 Regis sui molimina etiam in cœpto hoc bello pro  
 virili juvaret, memoratas jam sex Turmas, modò  
 possibile fuisset, varijs artibus machinisq; in Gallo-  
 rum stipendia pertraheret, Ablegationem ad Aulam  
 Gallicam suaderet, nec non Serenissimo Principi  
 Heredi, Serenissimæq; ejus Dnæ Matri Viduæ, prælectis  
 Regis sui literis, manendi in hâc Ducali sede fiduci-  
 am faceret, mansurisque certam polliceretur secu-  
 ritatem. Imò, cùm, clausis ad hæc omnia auribus,  
 negotium, quod agebat, minus ex voto succedere  
 videretur, communicatis consilijs, aggravare Duca-  
 tûs ærumnas, exitiumq; promovere unicè satagebat.  
 Equidem ex eo, quod *Vikefortius in Lib. 1. c. 30.*  
*de Legato*, monet, nullo ipsemet intelligere potu-  
 isset negotio: *quod Legatus privilegio inviolabili-  
 tatis, aliàs jure Gentium sui axiomatis Personis de-  
 bito, gaudere desinat, quamprimum Ipsius Princi-  
 palis bellum inferat Principi, cujus in Aulâ Legatumus  
 iste adhuc agit; Et quòd tales Ministri, equè ac  
 milites in expeditione versantes, pro hostibus ha-*  
 ben-



...) 7 (...)

*bendi sint.* Sed, si nec eò sese demittere, sed  
cæteris Regis sui Ministris, *Vienna, Ratisbona &*  
*Monachij*, tum agentibus, ad tempus par haberi voluif-  
set, puras tamen & sic manus conservare, nec, sal-  
tem quoad externos actus, hostilibus semet immisce-  
re molitionibus debuisset. Verùm, quod Excel-  
lencia Vestra mirabitur, in alia omnia itum. Cùm  
enim Generalis Montclarius misso 1. (11.) Decemb.  
Duce manipulario Marrevauld, per absentiam Se-  
renissimi Domini Administratoris, ad Con-Tutori-  
um Regimen, dedi sibi Aspergam arcem postularet,  
idque, ni intra duarum triumve horarum spatium  
fieret, Metropolin hanc mille Equitibus, nec non  
certo peditum, huc jam moventium, numero, qui  
pro arbitrio victuri essent, infessurum minitaretur,  
Juvignius modo dicto Marrevauld, cæterisque  
cum eo militiæ Gallicæ Præfectis sese palàm associa-  
vit, ducemque, sanctioris apud nos Consilij Sena-  
culum tum ingressis, ut ipse notavi, præbuit; &  
quamlibet haud ferè dixero, an illo tempore jacta-  
tas à reliquis minas suis cumulaverit Juvignius, vel  
hoc tamen in propatulo est, eundem, simulac Præfe-  
ctis Militiæ Gallicæ, ipsius in ædibus tum versan-  
tibus, prima repulsa, de non dedendâ arce, per Se-  
cretarium à Regimine missum, denuntiata fuisset,  
hæc in verba erupisse: *Re ita sese habente, non*  
*vicinum modo Cantstadium, verùm Stuttgartiam,*  
*quoque incendio devastandam, seque inter primos i-*  
*gnem tectis subjecturum.* Quotus ergo quisque,  
cui prisca Germanorum integritas cordi est, de ta-  
libus Ministris, qui nonnisi singularis benevolen-  
tia



tiæ causâ à Rege suo se hinc inde missos jactant, bene unquam sentiet? Vel, num jura Gentium ejusmodi Legatis non desideratis admissionem aditumq; porro conciliare poterunt? Sane dubium non est, quin, nisi Ducatus hic jam tum sub Gallico genuisset iugo, Nuntij istius insolentia, quâ indignum haud semel suo se Characterè præbuit, convenienti modo repressâ fuisset. In eo autem rerum articulo, cum omnium nostrum salus in summum adducta videretur discrimen, talibus ausis citra præsentissimum Imperij, Circuli-ve auxilium, obsistere, æquè difficile erat, atq; crescenti indies periculo modum obicemq; ponere. Jamque in eo erat, ut Schorn-dorffa peteretur. Generalis Melacus eò jam admo-verat militem. Marchio de Bievillem, exhibitis à Generali Montclario literis, nullum non movebat lapidem, ut Sereñissimam Dn. Viduam, Regimenq; ConTutorium ad deditonem permoveret, gravissima huic interminatus, ni promptissimè novo assurgeretur postulato. Extortæ deniq; literæ ad dictam urbem, quæ de deditone loquebantur. Cæterum cum Caput præsidij, civesq; modestè ijs intercederent, totus iterum in fermento fuit Juvignius noster, missoq; statim ad Regimen Secretario suo, fulgura sua, minasq; adversus Ducatum hunc repetijt. Generalis autem Montclarius, ubi idem rescivit, uni ex nostris Nobilibus, qui tum fortè alijs negotij causâ ad eum excurrerat, aliam ergò tentandam heic esse viam (*il faut trouver un autre moyen*) affirmavit. Dictum, factum! Quippe vix aliquot præterierant dies, & Gallicus miles ad portas hujus Urbis stabat, intromitti



ti quantocyus postulans. Quem processum describere melius haud potero, quam si ex jam memoratis repetiero, Sereniss. Dn. Viduæ à Juvignio, ex prælectâ Regis Epistolâ, fidem datam, intactam prorsus hanc fore Metropolin. Quæ etiam promissio in Articulis, super deditioe Aspergenfi conscriptis, in ipsis nominati modò Ministri ædibus, ejusdemque operâ reiterata, & sic Stuttgartia ab omnibus hybernis, prætensionibus, exactionibusque, vel ut Originalia verba habent (*de tous Logemens, quartiers d'hiver, & autres Charges & exactions sous quelq. pretexte, que ce puisse estre*) libera atque immunis declarata fuit; Quippe ad hunc perinde, atque cæteros Articulos, majoris confirmationis ergò, propria Generalis Montclarij accesserat subscriptio: Ut adeoque nemini in mentem venire potuerit, sanè debuerit, fore, ut in Metropolin hanc, ubi Serenissima Dn. Vidua cum Filiarum Bigâ, conversionem rerum, quoadusque liceret, spectatura, nec non Con-Tutorium Regimen in statu suo, etiamnùm permanferant, gravius consuleretur. Verùm enim verò quibuscunque istis insuper habitis, appetijt 20. (30.) Decemb. paulò post meridiem Comes de Vienne, mandatumque, quod Generalis Montclarius, cum pristino è diametro pugnans, scriptum ipsi dederat, Sereniss. Dn. Viduæ; (quæ iniquitatem illius è vestigio satis superque ob oculos posuisse fertur) equidem exhibuit, ast, quod in vultu ipsius ac verbis deprehendere licuit, Ipse sibi vix satis constitit, præsertim, cùm Regis Galliæ apud Comitiam Ratisbonensiam huc usq; Plenipotentiaris, Comes de Cressy (qui Bavarico-Electorali præfidiariorum ma-

B

nu



nu stipatus, atqve ab Officiali, colorem nostræ Au-  
 læ tesserarium in vestibus præferente, quem de suis  
 Sereniss. Dominus Administrator, majoris securitatis  
 causâ, jam Ratisbonæ Ipsi addiderat, per Eslingam  
 huc deductus usqve, pridie sub vesperam, totâ cum  
 Familiâ, appulerat, inqve ædibus Juvignij, etiamsi  
 de commodiore hospitiò Ipsi jam Serenissimæ jussu  
 prospectum fuerit, diverterat) in procinctu fuisse  
 diceretur, ut sub idem tempus, salutandi causâ, velu-  
 ti petierat, Serenissimam adiret Viduam, adeoqve  
 tanto minùs videretur verisimile, tali in loco, atqve  
 ubi insimul duo Regij Ministri pro tempore com-  
 jungerentur, prioribus injurijs novas insuper adje-  
 ctum iri. Cæterùm cum major subinde militum nu-  
 merus ingrueret, dolor haud fanè injustus, quippe  
 partim ex apertâ violatione promissi, de intactâ re-  
 linqvendâ hâc Urbe, partim ex præsentissimæ ruinæ,  
 qvalem plura jam in Ducatu loca senserant, intuitu  
 conceptus, plebis, civiumqve Metropolitanorum a-  
 nimos tantoperè accendit, ut qvamlibet non Sanio-  
 res modò Moderatioresqve, sed ipse etiam loci situs, &  
 conditio murorû longè aliud svaderent, vim tamen vi-  
 arcere, ex merâ desperatione decreverint. Hinc à pleris-  
 q; ad arma statim promiscuè concursû, pulsuq; Campa-  
 ni æris turbulento sparsus non per universam modò ci-  
 vitatem, sed & omnem latè viciniam tumultus. Trans-  
 igebatur equidem interea cum Gallis, ut copias  
 eo die hinc abductas, non priùs, qvàm cum Ge-  
 nerali Montclario hâc super re communicatum fu-  
 isset, huc admoverent denuò. Cæterùm iræ ita in-  
 cruduerant, ut in apertam vim tandem erumperent,  
 cer-



certatimq;ve displosis mutuò sclopetis , res ad mani-  
festam , eamq; horrendam spectaret cædem, atq; lani-  
enam. Quid istas inter turbas animi Sereniss. Dn. Vi-  
duæ; Quid Consiliarijs Status, qui à latere Ipsius nun-  
quam recedebant, fuerit? inde vel maximè conjici po-  
terat, quòd citra moram missi ad ædes Juvignianas, ut-  
pote portæ, ubi pugna maximè fervebat, proximas,  
ex Ducalibus Stipatoribus duo, eo habitu, qui no-  
strati Aulæ vernaculus & tesserarius est, ad prohi-  
bendam vim omnem, cùm à Comite Cressiaco, tùm  
à Juvignio, eorumq; domesticis, aliàs haud dubiè ab  
exacerbatisimo Cive pertimescendam. Excel-  
lentiæque Vestræ exinde pronum erit judicare,  
quantò studio, quantaq; solitudine provisum fue-  
rit, quò minùs Utriusque Legati Nomen, præser-  
tim Comitis Cressiaci, quippe de quo inter omnes  
constabat, Characterem nondum deposuisse, ullâ ex  
parte violaretur, quòd servandæ illorum incolumi-  
tati invigilatum tantoperè etiam tum fuit, cùm tantùm  
non planissimè de nostrâ actum, crederemus. Quo  
& Idem Comes permotus, cùm Sereniss. Dn. Vi-  
duam postridiè, quàm violenta isthæc in Urbem fa-  
cta irruptio ( in quâ quidem longè plures ex hosti-  
bus, quàm nostris Civibus occubere ) salutatum  
accederet, gratias Ei proinde egit verbis humanissimis,  
nec sine reciprocis propensæ voluntatis signis, equisq;  
subsidiarijs, postea discessit. Tantum abest, ut juxta  
superiùs dictæ, quam Vestra Excellentia allegavit, Pa-  
gellæ tenorem, contumeliosè Is, aut minùs dignè habi-  
tus heic fuerit. Quod verò ad Juvignium, ejus-  
que domesticos attinet, malè collocata hæc sollici-  
tudo,



tudo, utpote in ingratos, mox visa fuit. Siquidem ex Ipsius ædibus, quæ, ut jam relatam, à portâ præ cæteris vexatâ, quam proximè aberant, statim inter gliscentis tumultus initia, non simplici vice sclopetâ in cives displosa, quibus ut Depositi Testium juratò facta, sub Lit. A. plus satis comprobât, non pauci vulnera, quidam & mortem debuere. Ita nimirum in apertum vel tandem prodijt Viri integritas, sat evidentibus declarata documentis! Ad quæ hoc denique, velut in superpondium, accessit, quòd, duobus Gallorù millibus in urbem hanc violenter jam immissis, prædisq; bene multis, hinc inde per ædes, citra personarum respectum, sub primam noctem actis, Juvignius unâ cum Duce istarum Copiarum Peintonello, Ducalem ingressus Aulam, Serenissimæ Domine Viduæ, quæ satis graviter eidem, Regis ne hæc promissa sint, de *residentia hac* nullis afficiendâ incommodis? exprobrabat, captiosa hæc replicare verba non erubuit: *Aliud esse Aulam, seu sedem Principis, aliud Urbem ei assitam.* De cætero neq; tum, neq; sequenti biduo, cuiquam quicquam aperuit de suo, quem parabat, abitu: Sed 23. Dec. ultimùm salutaturus Serenissimam Dn. Viduam, summo manè admitti voluit, idq; ubi impetravit, brevissimâ valedictione, cui ne verbum quidem de Literis Salvi Conductus, Sibi suisve impertiendis, inspererat, perfunctus, relictis confusè nonnullis, ad vitæ sustentationem necessarijs, nec solutis debitis, queis Locatori ædium, ac quibusdam Opificibus adhuc tenetur, tanquam fugitivus, cum militaribus abiit turmis, quas suâ cum prædâ, cumq; pecuniâ, à Civitate hâc mul-  
tæ



Etæ nomine, ob contumaciam nempe Civium, militumq; aliquot cædem, novissimè exactâ, (posteaquam hæc ad minorem summam, Quindecim nimirum Millium florenorum, nam primò Viginti millia postulaverant, reducta fuisset) certior de auxiliarium Copiarum adventu nuntius, in fugam verterat. Ut inde cuivis colligere oppidò proclive sit, quòd; etiamsi premente postea cedentium terga Gallorum Cæsareano milite, ex supellectilibus sæpissimè dicti Juvignij, quæ is unâ cum cæteris hostium impedimentis, subvehi curaverat, aliquid ablatum fuerit, eaq; jactura aliquot florenorum millia excedere dicatur, damnum hoc sibi præstari, nullatenus tamen prætereundum queat; nisi fortè novum Jus Gentium cudatur, juxta quod & illis constet Inviolabilitas, qui sui Characteris ipso facto dememinerint. Verùm ne Excellentiam Vestram prolixiori sermone, non citra ipsius tædium, demorer, filum Epistolæ hæc vice abrumpo, ulteriorem mihi usque reservans illius pertexendi copiam, semperq; permansurus

*Excellentiæ Vestræ*

*Stuttgardia 20. (30.) Jan.*

*Anno 1689.*

addictissimus

N. N.



## EXTRACTUS

*Depositionis Testium, spectans ad  
Lit. A. de quâ superius.*

### Testis I.

Deponit juratò, cùm Galli 20. 30. Decemb. circa Vesperam, ad Portam, (quæ vulgò, das Hauptstättter Thor vocatur) ferro sclopetisque vim inferre cœpissent, ex ædibus Legati Gallici, priùs adhuc, quàm portæ fuerint effractæ, crebris sclopetorum ictibus cives petitos, divisosque, secus hostilem sustinendo impetum haud dubiè pares futuros fuisse. Vestigia plumbearum glandium adhuc extare in ædibus è regione sitis, & Balthasarum Leuchtlin inter initia statim, & antequam hostes pedem posuerint intra mœnia, ex dicti Legati ædibus interemptum, multosque alios vulneratos fuisse, quod fieri utiq; nequiverit, quin à Legato Gallico, ejusq; domesticis, inibi hærentibus, profectum sit.

### Testis II.

Etiam sub fide juramenti deponit, præterlapso die Jovis, ex ædibus Legati, & quidem ante irruptionem Gallorum in hanc urbem, non sclopetis modò in cives exonerata, sed & complures igniarias glandes (Handgranaten vulgò) sparsas fuisse, quippe earum duas juxta se dirumpi vidisse. Suas ipsius chirothecas duobus globulis, breviori sclopo emissis, fuisse transfixas. Potissimos ictus ex projectiore ædium parte egressos, seq; Testem suis conspexisse oculis, quòd ipse Legatus talia arma tractaverit, & naviter disploserit.

### Testis III.

Religiosè pariter affirmat, quòd, cùm Galli, præterito die  
Jovis



Jovis, nimirum 20. (30.) Decemb. in hanc urbem impetum fecissent, tam ante, quàm post irruptionem, ex ædibus Legati, præcipuè ex hypocausto, in plateam prominentiore, acriter missili plumbo fuerit certatum: quippè se ipsum cum filiâ, exinde, utut non graviter, læsum fuisse.

#### Testis IV.

Pari sacramento rogatus, profiteretur, antequam Galli in urbem penetraverint, ex Legati ædibus, malitiosè satis, non unâ vice, octo vel novem ictus simul detonuisse in cives, quippe sibi à dextris Thomam Idler, Pistorem, à sinistris autem, Zachariam Rächelen / Lapicidam, graviter sauciatos, posterioremq; brevi post ex eo vulnere mortuum esse. Seipsum ex iisdem ædibus, cum pistorem, defectis viribus collabentem, excepisset, ictum, sed citra periculum, fuisse.

#### Testis V.

Mediante itidem juramento, perhibet, prædicto tempore, crebriùs sclopeta ex ædibus Legati in cives exonerata, primumque ictum, in signum fortassis, emissum in auras. Joh. Georgium Heller ex hujus Legati domo, ad latus suum, glande plumbeâ interfectum fuisse.

#### Testis VI.

Eadem planè asseverat.

#### Testis VII.

Consimilia prodit, identidem scil. 8. vel 9. ictus simul ex ædibus Legati erupisse, & Joh. Georgio Blutharseth illas ipsas ædes fatales fuisse, cum ex vulnere, inde accepto, obierit.

#### Testis IIX.

Jure jurando asserit, ex ædibus Legati, & quidem projectiore



earum parte, & latere, plateæ latiori respondentibus, ante, & post irruptionem Gallorum, acerrimè petitos cives, & sclopeto, per tectum in auras exonerato, signum in antecessum fuisse datum. Nisi ancipiti ita periculo circumventi fuissent, non dubitare, quin hostibus portâ arcendis, suffecissent.

### Testis IX.

Idem adstipulatur, quippe Leuchtlinum, qui latus suum stipaverit, eâdem ex domo, glande plumbeâ confixum fuisse.

### Testis X.

Adstruit denique, ipsum se vidisse, quàm periculosos vulneribus ambo sui Affines, Joh. Georg Blutharsch/ & Zacharias Kächelen ex Legati ædibus affecti fuerint, utpote ex quibus subindè etiam interierint.

Atq; tantam ex ædibus toties dicti Legati Gallici, illatam Civibus vim, attestantur adhuc multi alij, qui super hâc re, quæsiti auditq; fuere, præsertim verò etiam illud, quòd Zacharias Kächelen/ Joh. Georg. Blutharsch/ Joh. Jac. Stöcklin/ & Andreas Christoph Brann/ qui suis aliquantisper supervixere vulneribus, huic Confessioni deniq; immortui sint, sua se lethalia vulnera ex Legati ædibus, non aliunde, accepisse.


## Tantum!

*[Faint bleed-through text from the reverse side of the page, including the word 'Confessione']*

*[Faint bleed-through text, possibly 'Testis IX']*

*[Faint bleed-through text, possibly 'Iste quando...']*











Nd 1121.

8°

ULB Halle  
003 245 489

3



WON


n.c











8

COLÆ

nfiliarium N. N.

ardia

no 1689.

ata

tinum Traductio,

Gallici molimina  
ms.

1689.